

*N. h. II, 166.*

*A. 43, 5.*



B C. D.

EX JURE PUBLICO

DE

MAJORI PRINCIPUM  
ÆTATE

SEU

QUANDO TUTELA PRINCIPUM  
FINIATUR,  
CONSENTIENTE

MAGNIFICO JURISCONSULTORUM ORDINE,  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
D. XXVII. APRIL. MDCCXIV.

PRÆSIDE

*VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO*

DN. DIETERICO HERMANNO  
KEMMERICHIO,

PHIL. ET J. U. D.

DISPUTABIT

AUTOR RESPONDENS

ADOLPHUS GOTTLIEB DORNBLÜTH,  
DRESD.

---

LIPSIÆ.

RECUSA MDCCXXXVI.

EX JURE PUBLICO

MAGISTRI PRINCIPUM  
STATU

QUANDO TUTELA PRINCIPUM  
FINITUR

AD HOC TITULUM  
DE

DR. ERICCO HERMANNO  
KEMMERICHIO

PHILIPPUS  
AUTORIS NOMINE  
ADOLPHUS GOTTLIEB BORNHILTM

1811  
HALLAE



VIRO  
PRÆNOBILISSIMO, GRAVIS-  
SIMO, CONSULTISSIMO,  
DOMINO,  
DN. MARCO  
DORNBLÜTHIO,

S. REGIÆ POLONIARUM MAJESTA-  
TIS ET ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO,  
AC J. U. D. LONGE MERITISSIMO, NEC NON IN-  
CLYTÆ CIVITATIS DRESDENSIS CONSU-  
LI SENIORI h. t. REGENTI,

PARENTI SUO AD CINERES US-  
QUE DEVOTISSIMA MENTIS  
PIETATE DEVENERANDO

PERENNATURAM FELICITATEM!

## VENERANDE DOMINE PARENS,



Uanto majorem justa ac laudabilis liberorum educatio requirit curam ac sollicitudinem, quantoque uberiora inde non in liberos tantum, sed & ipsam Romp. redudant emolumenta: tanto majores haud dubie merentur gratias illi Parentes, qui, hac in parte officii sui memores, nihil sibi prius, nihil antiquius putant, quam ut proles, quam generarunt, rite educetur, atque ad vitam bene esse ac feliciter transigendam efformetur. Cum enim his non solum debeant, quod vivant, sed etiam quod bene vivere queant liberi: fieri sane non potest, quin tanta in ipsos collata beneficia immortalem probris liberis erga ejusmodi Parentes ingenerent amorem, immortalem pietatem, immortalem observantiam. Quod si ego summum fervorem istum ac ingentem sollicitudinem considero, quam Tu, PARENIS OPTIME, in dextram mei educationem ab ineunte aetate mea impendisti, indignus certe paterno tuo amore, paternaque cura, quam pro salute mea adhuc geris, essem, nisi omnia abs te in me bona profecta esse profiterer, quae quis a probo fidoque Parente expectare potest. Quid igitur me arum hic su partium meique officii, facili agnosco negotio, nimirum ut omni pietatis ac reverentiae studio Tibi, Parens summo opere Honorande, gratum meum, dum vivam, declarari allaberem animum. Sed tanta est tuorum in me collatorum beneficiorum copia, tanta benevolentiae magnitudo, ut quamcunque adhibero diligentiam, vix tamen minimam eorundem

dem partem me affecuturum esse videam. Tantum tamen abest,  
ut hoc ipso ab omni omnino pietatis studio me deterreri pati-  
ar, ut potius, tanto fervidiori animi impetu ad ea me accin-  
gam observanda sedulo, quibus vel ex minima parte amoris ac  
benevolentiae Tuae me respondere posse sperem. Atque hoc ip-  
sum est, quod effecit, ut primitias hasce Academicas, quas  
jam tuis oculis subjicio, Venerando Nomini Tuo consecraverim,  
scilicet, ut eas perpetui monumenti cuiusdam ac testi-  
monii debita mea erga TE pietatis & observantiae habeas lo-  
co. Benevole itaque, imo paterne, quaeso, Parens aetatem deve-  
nerande, accipias, quod offero, atque tanquam arrham esti-  
mes optime illius, quam de studiis meis concipere placuit, spei,  
deque subsidiis, ea cum fructu porro continuanda necessariis,  
pro paterno Tuo in me affectu me prospicere haud desistas.  
Quod reliquum est, DEUM T. O. M. ardentissimis veneror  
precibus, velit TE, Parens Optime, una cum Matre Hono-  
ratissima in permulta annorum tempora sospitem servare at-  
que incolumem; at & Reip. insequentibus adhuc temporibus  
invigilare, & firmum totius nostrae familiae praesidium maxi-  
mumque esse queas solatium. - Supremum Numen voti, ex-  
mera profecti pietate, damnatum reddat paterno Tuo amoris  
ac favori prorsus sese devotentem


TUI, VENERANDE PARENS,

Lips d. 27. Aprilis  
MDCCXIV.

Obsequiosissimum Filium

ADOLPHUM GOTTLIEB DORNBLÜTHIUM.

SYNO-



Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

Tutelæ origo ex jure naturæ & gentium. §. I. Etiam  
Principes Tutela indigent. §. II. Quando Tutela Principum  
finiatur, jure naturæ haud definitur. §. III. Gentium mores  
in definienda majorennitate variant. §. IV. Mores Germa-  
norum, videlicet Longobardorum, Burgundionum, Wisi-  
gothorum. §. V. Mores Saxonum antiquiores §. VI. & re-  
centiores. §. VII. Gentium mores ratione majorennitatis  
Principum. §. VIII. De Principum Imperii, & quidem primo  
Electorum, majorennitate in primis quaritur. §. IX. An tem-  
pus XVIII. annorum in Electoribus præcise completum  
requiratur. §. X. An eadem ætas quæ ratione officii Electro-  
ralis in A. B. definita, ratione Electoratus & reliquarum di-  
tionum observanda? §. XI. Rationes pro negativa §. XII. pro  
affirmativa sententia. §. XIII. XIV. Controversiæ status ex  
mente Cocceji, ejusque fundamenta. §. XV. Quando ce-  
terorum Principum Imperii Tutela finiatur. §. XVI. Com-  
munis Juris publici peritorum sententia. §. XVII. Quæ reji-  
citur. §. XVIII. Fundamentum sententiæ communis. §. XIX.  
Quod evertitur. §. XX. Except. I. quæ simul eliditur. §. XXI.  
Except. II. ad quam respondetur. §. XXII. Exceptio III. §.  
XXIII. quæ refutatur §. XXIV. Exemplis contrariis. §.  
XXV. XXVI. quæ an. Imperator & constatus majorennem  
etiam extra territorium agnoscere teneantur citra ve-  
niam ætatis impetratam? §. XXVII. in casu imperii commu-  
nis an coimperantis consensus ad majorennitatis declaratio-  
nem requiratur. §. XXVIII.



§. I.



Summa cum ratione inter Ger-tes receptum est *Tutelæ* Jus atque officium, in eorum gratiam introductum, qui per ætatem rite sese gerere, rebusque suis prospicere nequeunt. Scilicet interest humani generis, ut ratio habeatur eorum, qui in spem societatis humanæ adolefcunt: nec quidquam vel æquius, vel humanius, vel voluntati Divinæ conformius, quam ut tener ejusmodi mentes ad vitam honeste ac feliciter transigendam formentur, bonaque, si quæ habent, recte administrentur. Incumbit hoc officium parentibus, quibus tenerrimum erga prolem affectum natura ipsa ingeneravit; nec a quoquam meliori Jure amoris ac humanitatis officia expectant liberi, quam a quibus & vitam & sanguinem trahunt, & qui, dum in procreationem sobolis consensere, in ejusdem & educationem consensisse videntur. Ast deficientibus per mortem parentibus, istud officium ad illos devolvitur, qui vel proximo a parentibus affectu relictos amplectuntur,

Quantur, vel quorum interest, impuberes recte educari, bonaque eorum dextre fideliterque administrari. Hinc igitur *Tutela* munus enatum, cum tanta potestate conjunctum, quanta ad educationem impuberum minorumve, itemque administrationem bonorum ipsorum requiritur. Quod adeo insigne pupillorum beneficium, nec minimum orbitatis solatium, ad promovenda societatis humanæ ac civilis commoda quam maxime accommodatum.

## §. II.

*Principum* non melior sors est. Homines sunt, nec humani quidquam a se alienum putabunt. Imbecillitatibus ab ineunte ætate laborant, nec sibi suisque rebus, antequam adoleverint, consulere satis norunt. Aliorum igitur auxilio indigent, & Tutoribus opus est, qui & actiones ipsorum dirigant, & terras, quibus gaudent, administrent. Quin tanto major hic *Tutelæ* necessitas subest, quanto majora a curata vel neglecti futuri Principis educatione in Rempublicam redundant commoda vel incommoda, & quanto sollicitam magis integri cujusdam regni vel regionis administratio sibi postulat curam,

## §. III.

Sed istud jam dispiciendum, quamdiu hæc Principum conditio duret, & quando *Tutela*, cui sub sunt, finiatur. Si *Jus naturæ* consulas, id quidem manifestum est, quod, cessante *Tutelæ* causa, h. e. ætatis judicii que imbecillitate, *Tutela* ipsa quoque cessare debeat. Sed annus & dies naturæ legibus haud definitur; ob nimiam ingenii humani, in aliis citius  
in



in aliis tardius maturefcentis, varietatem. Reliquum igitur est, ut eam ætatis integritatem iudicii que maturitatem, quæ dirigendis suis aliorumque actionibus sufficiat, ex quotidianis ipsorum Principum actionibus colligamus, atque adeo minoris ætatis terminum finemque Tutelæ determinemus. conf. GROTIUS *de F. B. & P. l. 1. c. III. §. II. n. 2. lib. 2. c. XI. §. 5. it.* PUFENDORF *de offic. hom. & civ. l. 1. c. IX. §. II.*

§. IV.

Quod si gentium mores, qui sæpe *Jus gentium* perperam audiunt, respicias, etiam hos pro varietate Rerump. temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum in definienda majori ætate variare deprehendes. Scilicet *Romani* ætatem minorem anno XXV. terminarunt, *post hoc tempus compleri vigorem virilem* censentes, autore ULPIANO *l. 1. ff. de in Integr. Restit.* At cum, iudice SCHILTERO, pro diversitate populorum naturæ vigor virilis etiam citius compleri cernatur, imprimis inter nationes septentrionales, & eas, quarum Juventus deliciis & corruptelis non ita exposita esse solet, ut Romanorum & Græcorum, ideo Germanicarum gentium mores minore ætatis terminum citiorem constituere. Harum enim adolescentes cum honestate morum præditi, & severa disciplina domestica instituti fuerint, paternam frugem, & majorum patrimonia urbana vel rustica conversatione, rectius gubernare posse præsumuntur *arg. l. 2. C. de his, qui ven. æt. v. Exercit. ad Pand. XI. §. XXIV. p. 240.* Quæ quidem philosophia SCHILTERI an diversitatis rationem inter Romanorum &

schilv

B

Ger-

Germanorum mores exhauriat, fortassis dubitari posset: eo quod iudicii maturitas, apud australiores populos forte citius sese exerere potuerit quam apud septentrionales; accedente cumprimis, ut apud Græcos & Romanos, majori ingenii cultura.

§. V.

Quicquid ejus sit, Longobardis certe annus XVIII. placuit. Ita enim docet constitutio Luitprandi Regis l. i. r. 39. *Hoc prospeximus, ut intra X. & VIII. annos non sit legitimus homo ad res suas alienandas, & in fin. in nono decimo anno homini Longobardo sit legitima ætas, & quodcunque fecerit, vel judicaverit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere.* Quod Jus Imperator Fridericus in regno Neapolitano & Siciliæ confirmavit: *Minores autem tam masculos, quam fæminas intelligimus eos, qui vel quæ nondum ætatis suæ decimum octavum annum exceßerint, quo completo, ipsos tam in contractibus, quam in judiciis, & in omnibus perfectæ ætatis volumus reputari.* Porro Burgundicæ leges adhuc arctius posuerunt terminum: *Minorenni ætati ita credidimus consulendum, ut ante XV. ætatis annos eis nec libertare (manumittere) nec vendere, nec donare liceat.* Wisigothi eundem majorænnitatis terminum amplexi sunt: *Venientes usque ad plenum quartum decimum annum in omnibus judicandi de rebus suis liberam habeant absolutamque licentiam. v. lib. 2. r. 5. l. in minoribus annis constituti.*

§. VI.

Quod ad Saxonum Jus attinet, videtur vetustius a recentiori discrepasse, & cum Longobardico convenisse.

venisse. Id quod SCHILTERUS *Exerc. ad Pand.* XI. §. 25. observat, atque ex glossa vetustiori dialecti Saxonica ad *lib. 1. Land:R. a. 23.* colligit, ubi tres recenset ætatis gradus: primus est ad annum XII. alter ad XIV. & ultimus ad annum XVIII. *de derde is achteyn Fabr, so maget se er egene orig laten, und nicht eer, h. e. manumittere potest proprios homines.* Cui consonare, testatur idem SCHILTERUS, glossam communis nostræ dialecti, in codice suo MSSo, ubi: *Kinder kommen zu ihren Fabren, so das sie mündig werden dreyerley weis: das erste sind XIII. Fabre, so sind sie mündig zu Lehn-Rechte: Zum andern mahl werden sie mündig, wan sie XIV. Fabr voll haben, so mögen sie wol seelgerethsetzen, Das dritte ist XVIII. Fabr, so mögen sie wol oren eygen Man frie lassen, und nicht ehir. Kayserl. und Königl. Land-und Lehn-Recht. c. 3. a. 23. Ein Kind das nicht siebenzehn Fabr alt ist, das mag nit sein eigen Leut frey lassen noch machen, noch ein sein Vogt, noch sein Pfleger, wer es thut, so hat es kein Krafft, & lib. 2. r. wenn ein Kind ist lehnbar. Ein Kind das XIII. Fabr alt ist und VI. Wochen, das ist lehnbar, und ist es XIV. Fabr alt, so schweret es wol um sein selbst Geschafft, und mag niemands Gezeug seyn, ebe das es XVIII. Fabr alt ist.* Atque hujus vetusti juris Saxonici vestigia adhuc hodie in Holfatia & Ditmarfia observantur. Jure enim Ditmarsico adhuc terminatur minoris ætas 18. anno, *art. 19. conf. SCHILT. l. c.*

§. VII.

At Jure Saxonico, quo hodie utimur, annis  
 B 2 XXI.

XXI. aetatem minorem terminari, tralaticium est. Constat hoc ex *lib. I. art. XLII.* *Ob er eyn und twintich Jarn, so is da man to sinem Jaren kommen. Ober seftich Jar, is be boven sine Tage kommen: Quod in versione alterius dialecti ita sonat: Uber XXI. Fabr ist der Mann zu seinen Tagen kommen: Uber LX. Fabr ist er über seine Tage kommen.* Ubi SCHILTERUS notat, videri inter ipsos Juris Saxonici articulos alium alio antiquiorem, & quosdam imò recentiores ipsa glossa veteri: nam quod in hoc art. XLII. de majorennitate XXI. anni dicitur, ejus nulla adhuc fit mentio in glossa art. XLIII. veteri, ut antea vitum. Porro SCHILTERUS *l. c.* in rationes prorogati hujus termini inquirat addens, Saxones, præ aliis Germaniæ populis eorumque coloniis, terminum majorennitatis ulteriorem fixisse, haud dubie in favorem adolescentum, qui corruptis jam & Germanorum moribus facilius fraudibus & fallaciis atque captionibus expositi sint, quam olim. Videntur hunc Juris articulum Saxones & in Angliam transportasse: eodem enim Jure Anglos uti testatur JO. COWEL. *l. 1. Instit. Fur. Angl. t. 22.* itemque BAVAROS, *C. Manz. de restit. integr. t. 2. 5.* Quin per alias quoque Germaniæ provincias idem Jus obtinuisse constat ex *Cod. Kayserl. und Königl. Landt und Lehn = R. cap. 1. Ein jeglich Christen-Mensch, das zu seinen Tagen kommen ist, das soll drey Stand in dem Fabr das Vogding suchen, der eins und zwanzig Fabr alt ist, so soll er das Vogding suchen in dem Bischthumb, da er inn gefessen ist, oder in dem Gerichte, da er Gut inn hat.* Id quod de plena pubertate, qua & curate

ratela solvitur, intelligendum. Tutela enim eodem Jure anno XVIII. solvitur, cap. *Wie Frauen oder Megde klagen ist ihr Vormunde f. 69. Wann ein Mann kommt zu achizeben Jahren, so bät er sein volle Tage, wiler, so mag er Vormund nehmen. wiler, so mag er sein wol entbehren. Aber König Karl hat gesetzt, er soll Pfleger haben, bis auf 15. Fabr. vid. SCHILT. l. c. §. XXVI. p. 241. 242.*

§. VIII.

Hæc de moribus Germanorum observata, licet ad Jus privatum potissimum spectent, tamen fusius excerpere non piguit; quoniam argumento nostro non parum lucis affundere videntur. Quod si jam porro, quid ratione ipsorum Principum inter Gentes receptum sit, disquiramus; apud alias, illud ipsius Principis vel populi arbitrio relictum, apud alias vero, vel per expressas constitutiones, vel per tacitas consuetudines certum annum designatum videbimus. In Republica Judaica nihil certi de ætate ad regnandum idonea constitutum videtur. Id enim ex sacra historia patet, alios Judæorum vel Israëlitarum Reges jam octavo ætatis anno, ut *Joas 2. Reg. XII, 1. alios nono, ut Josias 2. Reg. XXII, 1. alios decimo tertio, ut Manasses 2. Reg. XXI, 1. alios decimo septimo, ut Azarias 2. Reg. XV, 2. & Ussus 2. Chron. XXVI, 1. alios decimo nono, ut Jojachin 2. Reg. XXIV. alios denique vigesimo primo, ut Abas 2. Reg. XVI, 2. regnum suscepisse. De illis vero, qui vel expresse vel tacite certam ætatem introducere, populis id observari merentur, eos vel ad XIV. vel XVIII. ætatis annum plerum-*

B 3

que

que respexisse. Ita in *Gallia* Rex XIII. ætatis anno ex-  
 acto, & XIV. inchoato majorennis & ad sceptrā geren-  
 da idoneus censetur per constitutionem Caroli V. quæ  
 est apud LIMNÆUM, *Notit. Regni Franc. p. 211.* In  
*Suecia* vero XVIII. demum annus administrationi re-  
 gni sufficiens judicatur, v. THUAN. *lib. histor. 131.*  
*pag. 1035.* Eodem anno *Portugallia* Reges majoren-  
 nes fieri, Hispanos vero vigesimum expectare, obser-  
 vavit PFEFFINGER *Vit. illustr. L. 3. T. XI. 4. (b)* Sed  
 de *Portugallis* memorat THUANUS *l. 65. hist. p. 147.*  
 eundem legitimæ ætatis terminum esse, qui Regum  
*Francia.* De *Hispanis* quidem idem testatur LI-  
 MNÆUS *ad A. B. Cap. VII. §. 2. Obs. XXVIII.* ex CHO-  
 PINO *l. 2. tit. 3. n. 3.* ad consuetudines Parisienses.  
 Sed nemini tamen me legisse, etiam in *Hispania* XIV.  
 annum receptum esse, quo & anno Carolus II. a Tu-  
 tela immunis per Testamentum paternum declara-  
 tus est. In *Dania* itidem XIV. annus per Legem Re-  
 giam Friderici III. introductus est.

§. IX.

Equidem nos jam de exteris non adeo erimus  
 solliciti: id potius visuri, quid in *Germania* obtineat,  
 quæ sit *Principum Statuumque Imperii* legitima ætas,  
 quæ & a Tutela eos liberet, & ad suscipiendas territo-  
 riæ fasces idoneos reddat. Ante omnia Electores a  
 ceteris ordinibus discernendi veniunt: quippe quo-  
 rum legitima ætas Aurea sanctione Caroli IV. Cap. VII.  
 sequentem in modum definita est: *Tutor eorum & ad-  
 ministrator existat, donec Senior ex iis legitimam æta-  
 tem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo  
 annos*

annos completos censei volumus, & statuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, jus, vocem & potestatem & omnia ab ipsis dependentia, Tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare. Quod haud dubie in favorem Electorum ita constitutum, & ad privilegia eorum spectat: cum ceteris Principibus forte ex mente Imperatoris longior adhuc aetas expectanda esset. Quamvis rationes, quas de liberis Electorum LIMNÆUS de *J. P. L.* 3. *C. VII.* 39. allegat, quod nempe generosa ipsorum indoles & sollicita a teneris unguiculis educatio aliorum superet aetatem, atque ante annos animum his addat curamque virilem, magis oratoriae sint, quam philosophicae vel politicae. Ceterum non incongrua forte H. CONRINGII ad LAMPAD. *P. 3. c. IV. §. 24.* conjectura, id quod de Electorum majorennitate constituit A. B. consentaneum esse moribus Longobardorum: fortassis autem jam ante Carolum etiam in Germania receptum usu.

§. X.

Sed quaestio hic enata: *An tempus hoc octodecim annorum praecise requiratur, an vero mox completum sufficiat?* Quae disputata anno 1592. in Friderico IV. Electore Palatino, cui cum dies 59. deessent, post fata Johannis Casimiri Administratoris, Richardus Palatinus Simmerensis controversiam movit, tutelamque maxima contentione ambiit. Verum diversos casus, cum PFEFFINGERO, distinguendos puto, ac dispiciendum, an sermo sit de priori Tutore adhuc superstite, num vero de constituendo novo. Priori casu, Tutelam ante completum XVIII. minoris annorum

num

num non finiri recte asseritur: ob clarissima Carolina sanctionis verba, *decem & octo annos completos* expresse requirementia. Ut adeo frustra sit ANDREAS KNICHENIUS *de Sax. non provoc. Jure verb. Electorum, c. 5. §. 43.* meritoque erroris & inadvertentia arguatur a LIMNÆO & aliis, dum verbum, *attigerit*, urget, atque adeo annum XVIII. attigisse sufficere opinatur: cum tamen non dicatur, si XVIII. annos attigerit, sed si legitimam ætatem attigerit, quæ mox per XVIII. annos completos explicatur. Alia vero erit ratio, si vel pater moriatur, vel tutor prior, aut captivitatem subeat, perpetuove morbo ita exoleat, ut propriis rebus præesse nequeat; minor vero Elector annum XVIII. nondum omnino compleverit, ita ut breve duntaxat tempus, aliquot scilicet dierum, hebdomadam, mensiumve ad verum minorennitatis terminum ei desit. In ejusmodi enim casu Administratore amplius opus haud esse videtur. Ita pronunciatum fuit in causa Friderici IV. Electoris Palatini superius adducta. Richardus scilicet Palatinus, acriter licet pro complendo depugnans tempore, auditus tamen haud fuit: cum modicum tempus, quale est 2. mensium *l. 2. C. de nupt. l. 19. C. de Legat. c. unic. de auctorit. & usupallii*, GABRIEL *conf. 66. n. 51. lib. 2.* prator haud debeat curare, confessimque futurum pro facto *l. fin. de testamento militis*, & de proximo complendum pro completo habeatur *l. 17. in pr. ff. de excusat. tutor.* Ita ex FREHERO BUXTORFF. *ad A. B. 1b. 86. lit. g. conf. LIMNÆUS. J. P. L. 3. C. VII. n. 46. VITRIARIUS Inst. J. P. L. 3. T. XI §. 6. & PFEFFINGER. in Not. THU- LEMAR.*



LEMAR. *de Octov. C. XXVII. §. 19.* qui & hoc addit ;  
 tum novam, in istiusmodi casu, & non diu duraturam  
 tutelæ administrationem, Imperio non minus, ac ipsis  
 provinciis. plus incommodi quam emolumenti adfer-  
 re posse. Hinc & ipsemet modo dictus Fridericus IV.  
 proprium exemplum secutus, postea testamento idem  
 constituit, verbis: *Ætas legitima in successore XVIII.*  
*annorum esto: sic tamen, ut exemplo ipsiusmet Ele-*  
*ctoris, XVIII. annum attigisse sufficiat; quamvis A.*  
*B. eundem completum exigat: ne forte ob paucorum*  
*mensum defectum nunc novo Tutori & Administratori,*  
*& mox ipsi rursus Successori legitimo homagium presta-*  
*re subditos, & tot fieri in gubernatione mutationes ne-*  
*cesse sit.* v. ZACH. *Friedenreich* Synops. de Tutel. Elect.  
 p. 179.

§. XI.

Uterius queritur: I. *An Administrator tantum*  
*ea, quæ vocis, Juris, potestatisque Electoralis sunt, atque*  
*ita ea, quæ magis personam spectant; an simul etiam*  
*Principatum ad Electoratum pertinentium admini-*  
*strationem, h. e. ea, quæ rem ipsam concernunt, debeat*  
*protinus assignare pupillo? II. An, si præter ditiones*  
*ad Electoratum pertinentes etiam alii adsint Principa-*  
*tus, Ducatus &c. ut hodie Electoribus esse videmus, Tu-*  
*tor sive Administrator, etiam restituis aliis omnibus ad*  
*Electoratum pertinentibus; nihilominus harum rerum*  
*curam sibi reservare possit, usque ad 25. etatis annum?*  
 Ita LIMNÆUS *J. P. L. 3. C. VII. n. 51. seq.* statum con-  
 troversia format, qui tamen ex Ill. COCCEJI senten-  
 tia paulo aliter formandus erit, uti deinceps videbi-  
 mus

mus. Agitata auem fuit hæc controversia iudem  
 incaussa Palatina: siquidem Richardus Comes Pala-  
 tinus An. 1592. post mortem Joh. Casimiri Electoris  
 Palatini, tutor Friderici IV. Electoris, successoris, ma-  
 gna contentione Principatuum ad Electoratum perti-  
 nentium administrationem, usque ad annum 25. ætatis  
 Friderici, sibi reservare voluit; pro Electore tamen  
 responsum fuit, quem & Rudolphus II. biennio post  
 plenarie tam de Electoratu, quam reliquis provinciis  
 eidem subiectis solenniter investivit. v. Kurze Ver-  
 zeichniß desjenigen, so sich zwischen Hr. Richarden 2c.  
 und Friedrich IV. Churfürsten, den 18. Jan. 1592. und  
 die nachfolgende Tage, wegen der Tutel und respecti-  
 ve Curatel und Administration verlauffen hat 2c. item-  
 que scripta eam in rem tunc temporis edita, ut: gründl.  
 Gegenbericht Pfaltzgraf Richards, & ejusdem Wies-  
 derlegung. Item Chur-Pfaltz Abienung, & Ad-  
 fertio propr. gubernat. duabus orationibus a MAR-  
 QUARDO FREHERO conscriptis. conf. LIMN.  
 ad A. B. C. VII. Obs. 36. it. PFEFFING. Vitriar. Illust.  
 L. 3. T. XI. f. 8. (a).

§. XII.

Fundamenta Richardi erant aut esse poterant,  
 ut a LIMNÆO l. c. adducuntur, sequentia: I. Ipsius  
 Caroli IV. dicta in sanctione verba. *Quam* (scil. æta-  
 tem XVIII. annorum) *dum exegerit, Jus, vocem &*  
*potestatem, & omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi*  
*totaliter cum officio teneatur protinus assignare.* Quæ  
 verba cum de administratione Principatuum nihil ha-  
 beant, tantum id velle videntur, annum ætatis XVIII.  
 legi-

legitimum esse, cui competat Electorum Jus usitatum, puta suffragium ferendi, officiaque Electoralia peragendi; atque hæc omnia Administratorem, nullo prædictorum scilicet sibi reservato, assignare cum officio Electoris obstrictum esse. II. Sigismundi Imperatoris Bulla, cujus hæc sanctio: *Ætatem debitam in hoc casu, eligendi videlicet Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, decem & octo annorum censeri volumus & haberi, in Principatibus autem Ducatibus, & dominiis aliis temporalibus gubernandis ætatem observandam decernimus, prout a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum.* Scilicet cum in Electore, qui præter eas, quæ ad Electoratum proprie pertinent, ditiones alias quoque obtinet, duplex exurgat respectus, alter dum ut Electorem, alter, dum ut Principem consideramus, distinctæ videbantur decisiones observandæ, aliæque legitima ætas in Electore, alia in Principibus reliquis censenda. Unde licet vel maxime Elector legitimam adsecutus ætatem, Jus, vocem, & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia totaliter, ut cum A. B. loquamur, cum officio a tutore recipiat: atamen, cum reliquæ ditiones ab Electoratu non dependeant, sed alio subsistant fulcro, earum administrationem ante 25. ætatis annum, qui iisdem pro legitima computatur ætate, consequi haud poterit, & quatenus Elector, cura solutus, quatenus vero aliorum Principatum Dominus curæ agnati subjectus erit. III. Suadere illud existimant diversitatis rationem, quæ inter Electorem & Principem est conspicienda.

cua. Utut enim Elector cura citius Principe solvatur, cum tamen collegas Electores ad latus habeat, si quæ ætatis in ipso reliqua esset imbecillitas, matura illorum prudentia fulciri & dirigi poterit. In Principibus vero regundis cum socios non habeat, nec admittat, periculum lapsus extimendum maxime.

§. XIII.

Sed nec desunt, quæ contra hanc sententiam afferri possunt, rationes. Scilicet (I.) Bullam Carolinam velle fratrem seniore tutorem & administratorem, donec legitimam minor ætatem attigerit. Ergo ubi is legitimam attingit ætatem, tutorem & administratorem esse desinere. (II.) Vi ejusdem sanctionis omnia ab ipsis dependentia restituenda; ergo & Principatus: imo totalem restitutionem faciendam, & quidem cum officio, quod tutor gessit; nihil ergo tutorem retinere, vel si quid retineat, non esse restitutionem totalem, nec officium integrum resignatum. Cumque (III.) Bulla addat, seniore primogeniti & ejusdem fratrum tutorem esse, donec primogenitus vel senior ex iis legitimam attingerit ætatem: consequens esse, ut primogenitus post legitimam ætatem suorum fratrum tutelam consequatur, & propterea ipsum in tutela vel cura ulterius esse non posse, *arg. l. 21. ff. ad l. Jul. de adult. §. minores autem. 14. Instit. de excusat. tutor.* Quæ & consimilia alia in primo quidem quæstionis puncto concludentia agnoscit LIMNÆUS *l. c.* ad secundum tamen nihil vel parum facere arbitratur. Subnectit tamen LIMNÆUS alia, quæ reliquis validiora videri poterant. Quod si, inquit,

quit (IV.) octodecim annorum Princeps, ad Electo-  
 ratum aptus, casuque eveniente respectivo Imperii  
 administrator Cap. 5. *Aurea Bullæ*, quidni & suis Prin-  
 cipatibus sufficiens reputabitur? An eum, qui Impè-  
 rii curam suscipere legitimus, alienæ subjiendum  
 putabimus curæ? An qui publica tractare validus,  
 privata moderari ineptus erit? An putabimus ido-  
 neum nobis ut det consilium, qui non dat sibi? Eum-  
 ne nobis vacare creduli erimus, qui non vacat sibi?  
 Utilemne alienæ causâ judicabimus illum, quem vide-  
 mus inutilem esse suæ? Ex Ambrosio ARUMÆUS  
*d. discurs. 4. ad A. B.* Eandem absurditatem THU-  
 LEMARIUS notavit: *Absurdum*, inquit, *esset*, Princi-  
 pem Electorem anno XVIII. ad Electoralem splendo-  
 rem sustinendum habilem, ast ad gubernandas reli-  
 quas provincias idoneum; imo anno 18 ætatis suo-  
 rum fratrum impuberum tutelam administrare & eun-  
 dem ratione Principatus & aliorum Dominiorum  
 sub cura esse, *leg. ult. C. de leg. tut. v. Tr. de Octovi-  
 ratu Cap. XXVII. §. 12. p. 542.* (V) Omne dubium col-  
 lere videtur Constitutio alicuius Caroli IV. quæ ut poste-  
 rior hæc Bulla Aurea (Iara enim Anno 1356. (alii ha-  
 bent 1354.) die, qui Johanni Evangelistæ sacer est, in  
 causâ Rupertorum, v. ARUM, *d. l.*) ita priorem com-  
 mode interpretabitur. Ita vero illa: Wann aber  
 derselbige ähere Sohn acht zehen Jahr alt würd,  
 zu handt soll ihm derselbe Vormundt NB. alle  
 Land, Herrschafft, Würdigkeit, Ehren und ande-  
 re Rechten, Nutzen und Zugehörigen, die er als ein  
 Vormundt eingenommen hat, ohn alle Wiederre-  
 de,

de, Verug oder Hindernisse abweisen, und ihm die  
 einantworten, ohne Gefahrde. conf. MARQU. FRE-  
 HERUS de *Tutel. Elect. c. VII. §. 74.* itemque RIN-  
 GLERUS de *Tutel. Illustr. C. I. §. 9.* & PFEFFING.  
*Vitr. Illustr. L. 3. T. XI. §. 8. not. a.* Denique (VI.)  
 Observantiam huic Aureæ Bullæ interpretationi con-  
 forme[m] allegat LIMNÆUS, atque exemplis tum *Ele-*  
*ctoris Palatini*, tum etiam *Saxonix* confirmat. Scili-  
 cet cum Ludovicus Palatinus Elector anno 1442. 18.  
 annum explevisset, ejus Patruus Otto illi & Electo-  
 ratum & Principatum statim restituit. v. THULEMAR.  
 de *Octovir. C. XXVII. §. 13. p. 543.* De Saxonix  
 vero Electore LIMNÆUS: Fridericum Wilhelmum  
 inquit, p. m. memoriæ Saxonix Principem, Christia-  
 no II. Electori Saxonix, observandæ recordationis,  
 terminum ætatis Electoralis attingenti, & Electora-  
 tum, & reliquos Principatus assignasse, integra tene-  
 mus memoria. Atque hæc ad primum adversantium  
 argumentum reponenda censet LIMNÆUS *l. c.*

§. XIV.

Quod ad *Bullam Sigismundi secundo* loco ex-  
 citatam attinet, Ringlerus quidem de *Tutelis Il-*  
*lustr. Cap. I. §. 1. p. 31.* contra eam hoc urget, quod ne-  
 que Electoratus seculares divisionem recipiant, cum  
 pertinentis tuis, A. B. cap. V. neque Ducatus, Comita-  
 tus & c. etia territoria regulariter ab illis & de jure se-  
 parentur, GAILIUS *Obs. 153. n. 2.* GOLDAST. de  
*Majoratu lib. 2. c. 17. n. 15.* tamen LIMNÆUS hanc se-  
 para-

parationem utique fieri posse existimat; cum ejusmodi terræ Electoratu, qua tali, eo connexa non sint modo, ut nec mente, nec re ipsa separari ab eodem queant. Nihilominus & LIMNÆUS contra eandem ita ratiocinatur: hæc Bulla aut de Electoribus tantum, aut de Electoribus aliisque loquitur Principibus. Si de Electoribus tantum, fateri cogimur, eam sententiæ nostræ & Caroli IV. Sanctioni contrariam, at usu quodammodo reprobaram. Si de Electoribus & reliquis quoque Principibus, nobis ea non obstabit. Ita quidem LIMNÆUS censet cum ARUMÆO, quem allegavit. Nos tamen deinceps ostendemus, nec Principibus Sigismundi Bullam obstare. Quæ ad *tertium* argumentum contrarium, diversitatis nempe rationem inter Electores & Principes alios, LIMNÆUS regerenda existimat; scilicet uti Electores Collegas habeant, ita & Principes in sua classe pares habere, quamvis nec hi, nec illi, aliorum se possintingere negotiis; ea ad negotia quidem in comitiis aliive Imperii conventibus peragenda valebunt; ceterum quod ad regimen territorii atinet, eadem & Electorum & Principum erit ratio. Sed nec tanti momenti est istud argumentum, ut illi multum immorari necesse sit.

§. XV.

Illustris COCCEJUS eandem controversiam tractat, sed paulo aliter, ut dixi, controversiæ statum format: dum nec de Electoratu, nec de Principibus reliquis quærit, an ad XXXV. usque ætatis annum a Tu-  
tore

tore sint administrandi, sed an illorum æque ac officii Electoralis administratio ad XVIII. usque annum sit continuanda? Sententia igitur ipsius hæc est: Principibus Electoribus singularem tutelam constitutam esse, ad administrandum non Principatum, sed jus eligendi Imperatorem, zur *Verweisung des Chur-Amts*; quæ adeo administratio proximo agnato auferri nequeat. At Principatibus suis ac liberis Electores æque ac reliquos Status testamento tutores dare, agnatos eo excludere, & ante annum ætatis XVIII. Principatus suos ipsos administrare posse. v. J. P. *Prud. C. XXIX. §. 17. 20. 21.* Probare hanc sententiam annitur Vit Celeberrimus ex ipsa Carolina Constitutione, quippe quæ in toto hoc textu Tit. VII. de solo jure & officio Electionis, von der *Wahl oder dem Chur-Amt* agat, omniaque ejus membra eo expresse restringat. Id quod deinceps allatis ipsis textibus latius persequitur, atque ex aliis Bullis tum a Carolo IV. Wenceslao Saxoniz Duci, apud GOLDAST. *Tom. I. ad annum 1376. f. 372.* tum a Sigismundo Imp. Electori Palatino datis (quibus allegatur A. B. Caroli IV.) ulterius confirmat, eo quod ibi §. 7. *in fin.* exerte alia ætas quoad *jus eligendi*, alia (sc. quæ alias constituta est) quoad *regimen terrarum* sancita. Quin eandem sententiam usu ipso & publice comprobaram exemplis tum Electoris Bavariz liberis suis ac Principatui uxorem tutricem dantis, sed ratione officii Electoralis agnatum proximum; tum Joachimi I. Electoris Brandenburgici, anno XVI. ætatis Principatum regendum suscipientis, functionibus Electoralibus



libus agant relicti, evincere allaborat. Ercum dubia ipsi a duobus JCtis celeberrimis, STRYKIO nempe & TEXTORE, mota sint, iis satisfacere in Appendice conatur, quæ non opus est hic exscribere, cum præsertim ad tutelæ delationem magis quam ætatis definitionem pertineant. Equidem sac speciose isthæc omnia a Viro doctissimo edisseruntur: & in eo facile nos consentientes habebit, quod nec Electoratus, nec Principatum reliquorum administratio ad XXV. ætatis annum usque continuanda sit, ut communis quidem sententia fert: illud tamen dubium manet, cum in dicta constitutione T. VII. §. 2. Electores NB. *virtute Regni & Principatum in Electione Regis Rom. jus, vocem & locum habere dicantur*, an ex mente Imperatoris officium Electorale a Principibus ita separandum sit, ut illud sine his administrari possit. Et licet in allegatis textibus officii Electoralis tantum fiat mentio, tamen unius positio non est alterius exclusio. Ex exemplis vero in contrarium allatis nihil aliud deducetur, nisi quod Aurea Bulla etiam in hoc, quemadmodum in pluribus aliis capitibus, per observantiam contrariam, mutationem fuerit passa. conf. BRUNNEMANNI *Diss. de Mutat.*  
A. B.

§. XVI.

Jam de certis Imperii Principibus ac Statibus disquirendum, quando ipsorum tutela finiatur, an idem terminus imperfectæ ætatis, qui in Electoribus, in illis quoque locum habeat? Sane rectissime eundem

D

dem

dem ad alios Principes & Status applicatum fuisse, nisi  
*ψευδογενετα* Legistarum annum XXV. Jure Roma-  
 no statutum, observari jussisset, gravissime censet B.  
 TITIUS, Jctus judiciosissimus, uti de omnibus Juris-  
 prudentia partibus, ita de Jure publico inprimis opti-  
 me meritis, quem nuper e vivis ereptum merito lu-  
 get Academia nostra, SPECIM. J. P. Lib. 4. C. VI.  
 §. 19. p. 453. Quam sententiam cum sinistre ipsi inter-  
 pretaretur VITRIARIUS, vel potius vindex ipsius,  
 ipse mentem suam in *vindiciis Vitriarii castigatis* ul-  
 terius declaravit; nimirum se non *quasivisse, an ter-  
 minus A. B. in reliquis Imperii Principibus observari  
 debeat? sed an, si respicias tempora A. B. eamque  
 mox secuta ille observari potuisset?* quod posterius  
 affirmavit, addendo, se nihil aliud velle, quam sen-  
 tentiam, de termino juris civilis observando, ex falsis  
 Legistarum hypothefibus habere originem: an vero ea-  
 dem postea Legibus Germanicis sit approbata, aut  
 saltem tacite recepta, id se adeo non negasse, ut po-  
 tius, dum citaverit VITRIARIUM l. 3. tit. 11. §. 8 ad  
 Bullam Sigismundi Imperatoris, terminum illum juris  
 civilis continentem, respexerit. De cetero verum  
 esse, quod dixerat de Legistis B. TITIUS, ex alio  
 VITRIARII loco comprobatur, ubi: *Aurea Bulla, inquit,  
 tanquam jus exorbitans, ad alias casus extendi non de-  
 bet, sed observandum est jus civile.*

§. XVII.

Communis igitur Doctorum sententia, cui &  
 B. TITIUS una cum VITRIARIO calculum suum,  
 licet

licet invitus, adjicit, hæc est: Legitimam Principum Statuumque reliquorum ætatem esse annum XXV. complerem, Jure civili constitutam; quousque sub Curatoris patrocinio ipsis manendum: nisi una vel altera Familia illustri privilegium gentilitium, aut Princeps minor veniam ætatis ab Imperatore impetraverit. v. LIMNÆUS *J. P. L. 3. C. VII. n. 40. 43. seq.* VI-TRIAR. *L. 3. T. XX. §. 28.*

§. XVIII.

Sed nondum adeo firmo niti fundamento ista sententia videtur, ut citra omnem dubitationem eadem subscribendum putem. Certe nulla lege Imperii ita expresse, itaque clare legitima Principum Imp. ætas definita aut ad Legum civilium placita alligata est, ut necessario istam observare teneantur, nec ante XXV. annum a Tutela sese liberare possint. Quin e diametro eadem sententia Libertati Statuum contraria videtur, quippe qui in rebus ad regimen territorii spectantibus legibus civilibus ac privatis neutiquam sunt subiecti. Gravissima est *Instrumenti Pacis* sanctio *Art. VIII. §. 1. Principes & Status Imperii Rom. in antiquis suis juribus, prerogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in Ecclesiasticis, quam Politicis exercitio, ditionibus Regalibus, horumque omnium possessione, vigore hujus transactionis, ita stabiliti firmatique sunt, ut a nullo unquam sub quocunque pretextu, de facto turbari possint vel debeant.* Cum itaque inter optima maxima territorii jura, quæ Statibus in Ecclesiasticis pariter ac Politicis indefinite

tribuuntur, procul omni dubio etiam potestate legis-  
latoria gaudeant: manifestum sane est, ab ipsorum ar-  
bitrio pendere, an in suis actibus & territoriis Jus Ju-  
stinianicum velint valere, ut ipse VITRIARIUS ejusque  
vindex diffiteri non potuit, v. *Instit. J. P. L. 3. C.*  
*XVII. §. 5. & vindiciae VITRIARII Castig. ap. TI-*  
*TIUM §. 167.* Unde porro sequitur, eos, qui ejusdem  
potestatis, aetatem Jure Justiniano determinatam ra-  
tione subditorum suorum utique mutare posse: id  
quod & LIMNÆUS agnoscit, qui: *terminum istum*  
*necessitatis tantæ non esse affirmat, ut aut statuto, aut*  
*jure provinciali, vel variari, vel minui nequeat. l. c. n.*  
*38.* Quanto magis igitur ipsis, ratione sua personæ, &  
administrationis territorii suscipiendæ, legitima con-  
ventionem aut dispositionem ab aetate, jure isto privato  
definita, recedere integrum erit.

§. XIX.

Equidem pro corroboranda sententia sua ad-  
ducunt *Bullam Sigismundi Imp. superius allegatam*  
ex *GOLDASTI Constit. Imper. Tom. I. p. 398.* ubi: *In*  
*Principatibus autem, Ducatibus, & Dominiis aliis*  
*temporalibus gubernandis aetatem observandam decerni-*  
*mus, prout a Divis Romanorum Imperatoribus & Re-*  
*gibus nostris prædecessoribus sancitum est.* Cum igitur,  
inferunt, hac de re ante Sigismundum nulla ex-  
isterit Constitutio, nisi Jus civile Justinianicum: haud  
dubie istud in definienda legitima Principum aetate ob-  
servandum voluisse Imperatorem,

§. XX.

§. XX.

Verum enim vero in ista Sigismundi Bulla, ad quam uno ore provocant, quotquot communem sententiam tuentur, parum vel nihil praesidii inveniunt, si recte illam consideraverint. Est enim Bulla particularis Electoribus Palatinis concessa, deque ipsorum successione disponens; uti ex inspectione Goldasti atque Freheri clarissime liquet: quomodo igitur instar constitutionis universalis, omnes Imperii Principes ac status reliquos obstringens, valere poterit? Quin si valere etiam potuisset, dubium tamen esset, an usu unquam recepta fuisset: Certe ipse LIMNÆUS *l.c.* & cum Limnæo VITRIARIUS *l.c.* fatetur, eam usu quodammodo reprobata. Præterea cum eadem tunc lata sit, ubi status adhuc pro veris subditis habiti fuerent: postea tamen, mutato rerum statu huic Bullæ, si vel maxime recepta fuisset, iterum derogatum: quod cum primis factum, ex quo per Instrumentum Pacis & sequentes Capitulationes sublimia territorii jura statibus confirmata fuere. Imo si & largiremur, ex Jure Romano secundum hanc Sigismundi Bullam majorem Principum Imp. ætatem æstimandam: sequeretur sane, jam anno XIV. exacto eos scepra capeere posse; eo quod *minores invitæ* secundum Jus Romanum *Curatores non accipiunt*, *Inst. §. 2. de Curatoribus*: quod tamen communi sententiæ oppido adversum est.

§. XXI.

Sed non desunt adversariis, quæ nobis ulterius opponant. Scilicet ad *Recessus Imp. tum de Anno 1548. tit. von Pupillen, tum de An. 1570. §. 40. tum de*

An. 1577. tit. 13. confugiunt. Unde colligunt, licet Justinianus minoribus iuvis Curatores non obrudat, tamen ordinationes istas politicas Imperii id velle, ut Curatores illis ad legitimam usque aetatem constituantur. Inprimis Viriaril vindex istud argumentum urget, atque ex ultimo R. sequentia producit verba: Wann aber man den Obrigkeiten zuschiet, in dem gebührlchs und billchs Etsehen zu haben, damit die Pupillen und minderjährigen Kinder unbetrogen und unvernachtheilet bleiben, so wollen wir allen und jeden Churfürsten, Fürsten, Prälaten, Grafen, Herren von Adel und Communen hiermit ernstlich auffgelegt und befohlen haben, in ihren Fürstenthümern, Herrschaffen, Oberkeiten und Gesdieten vermassen Vernehmung zu thun, und zu verordnen, daß den Pupillen und minderjährigen Kindern jedereit bis sie zu ihren vogbaren und mannbaren Jahren kommen, Vormünder und Vorsteher, so die ihnen von ihren Eltern in Testamenten oder letzten Willen nicht verordnet, oder ihre angebohrne Freunde und Verwandten sich der Vormüderschafft, aus rechtmäßigen Ursachen, nicht unterziehen wollen, oder darzu tüglich und geschickt wären, gegeben werden ic. Ex quibus vindex modo citatus ita contra B. Titium ratiocinatur: „Cum „in dictis textibus injungatur Electoribus, Principi- „bus &c. ut in suis Electoribus, Principatibus &c. „prospiciant, ut pupilli & minores tutores & cu- „ratores accipiant usque ad pubertatem & majoren- „nitatem &c. quæro ex Doctore nostro novicio, an con-

contra expressam Reccessuum dispositionem terminus, XVIII. annorum, Electoribus praefixus, ad alios, Principes & status (recte) fuisset applicatus? an legi sit & Dn. Vitriarius, an vero Imperator hoc praecipiat? v. *Vindiciae Virr. Castigatae* §. 164. p. 136. Sed quis non videt, allegatos Reccessus Imp. & ordinationes politicas tantum ad privatos pertinere, nec Principes Imp. ulterius obligare, nisi ut in suis territoriis a privatis eas observandas curent: id quod ex contextu non solum, sed & prologo & epilogo citatae Ordinationis evidentissime patet, cum de termino Juris civilis Imperii statibus ipsis applicando ne <sup>v. g.</sup> quidem habeatur. Nec dici poterit, quod quae Principes statusve Imp. a subditis observari velint, ipsi etiam observare debeant. Quodsi enim Princeps tanquam Dominus territorialis vi potestatis legislatoriae ordinationes politicas, aliasve constitutiones juris mere positivi & civilis & introducere, & nonnullos subditorum per dispensationes ab earundem obligatione eximere, & introductas abrogare potest: quis dicet, Principem ipsum ex necessitate quadam, & obligatione Juris sese illis subicere oportere.

§. XXII.

Porro instant, dictas Constitutiones procul dubio ad Jus commune spectare, secundum quod in Judiciis Imperii pronuncietur: quae cum Principes & Status Imp. forum competens suum agnoscant, etiam legibus ibi vigentibus eos utique teneri. Sed in promptu est, quod respondeatur: nimirum 1) laudat

tas

tas constitutiones ad Jus commune quidem pertinere ratione privatorum, non vero ratione Principum, quippe qui legibus ejusmodi privatis haud obligantur, ob superioritatem territorialem & potestatem legislativam jusque contra Jus commune etiam statuendi. v. Illustr. THOMASII *Disp. de Potestate Statuum Legislatoria contra Jus commune.* 2) Licet Principes Imp. in causis extra territorium cum tertio ipsis intercedentibus, & in quibus tanquam privati considerantur, judiciis Imperii obnoxii sint: tamen hoc juribus, quæ ad regimen territorii spectant, neutiquam derogat, quippe quæ libere absque cujusquam contradictione atque turbatione exercere possunt. vid. *Instrum. Pacis Art. VIII. §. 1.* 3) Si vel maxime hujusmodi causæ ad judicia Imperii deferantur, tamen non secundum Jus privatum, sed secundum Instrumentum pacis & Capitulationes Cæsareas, & quidem in favorem Principis pronuntiandum, liberumque juris superioritatis territorialis exercitium factum tectum servandum. 4) Quod si dixeris tutoris interesse, ut territorium bene administraretur, tutelaque ad legitimam usque ætatem contineretur; quod ni fiat, tutori actionem contra pupillum vel minorem competere: respondeo tutoris quodvis interesse ipsi non dare jus, & quatenus tutela est beneficium pupilli, huic utique renunciari posse, neque tutori competere Jus contradicendi. Si tamen fortassis contradictio oriatur, secundum Instrumentum Pacis Capitulationes & leges publicas, uti jam dictum, pro pupillo vel minore in dubio pronuntiandum.

§. XXIII.



§. XXIII.

Denique praxin & observantiam communem obtundunt, cum solenne in Imperio sit, quod Principesque ad annum XXV. sub cura maneant, vel a Cæsare veniam ætatis non solum pro sua persona, sed sæpe per modum privilegii pro integra Familia impetrent. Quod non opus esset, si curatoris potestati se subtrahere & regimen suscipere propria autoritate puberes ante dictam ætatem possent. Hinc sæpius jam citatus Vitriarii Vindex contra B. TITIUM §. 165. l. c. p. 128. pergit: „Imo si ipsi Status agnoscant se minores esse usque ad annum 25. completum, dum ætatis veniam ab Imperatore nostro petunt; si Imperator hoc ita interpretetur, si summa in Imperio Romano - Germanico judicia id statuunt, an leges vel Dominus Vitriarius hoc jubeant? legat verba Rudolphi II. in litteris, quibus Comiti Hohenloeco veniam ætatis concedit, quæ hæc sunt: *ihres respective Sohns und Pupillen verordnete, und, an unserm Kayserlichen Cammer Gericht bestätigte Tutores und Vormünder gehorsamlich zu erkennen geben, ob wohl letztgenannter ihr Pupill, Graf Ludwig Eberhard zu Hohenlohe, so bey sechzehn Jahren seines Alters, die zur Administration seiner Graff- und Herrschafften, auch Land und Leut, Haab und Güter, beschriebenen, Kayserlichen Rechten bestimmte Jahr noch nicht, allerdings völlig erreicht, w. audiat Ferdinandum, III. in litteris de anno 1641. die 15. Jan. ibi: Moritz, Friderich Graff zu Hohenlohe allbereith das 20. Jahr*

„Jahr erreicht und compliret habe. Et paulo post  
 „Der noch übrigen Abgang und Mangel seines Al-  
 „ters aus Röm. Kaiserl. Majestät Vollkommenheit ge-  
 „nähigst zu erfüllen, darüber zu dispensiren, und dem-  
 „selben zu so'hem Ende veniam aetatis in Gnaden zu  
 „geben, und mitzuthellen geruhen wollen. Idem pra-  
 „tererea factum est ante aliquot annos a Serenissimo  
 Duce Wartenbergensi. Si rectissime hic terminus  
 ad alios Principes fuisset applicatus, nisi legistæ  
*ψευδογενεϊαι* evitandam esse iussissent: cur tot sereni-  
 ssimi Principes, Duces Brunsvicensis, Lunebur-  
 genses, Pomerani, ac Principes Anhaltini, privile-  
 gio obtinuisent, ut anno XVIII. majorenes habe-  
 rentur? precibus enim non obtinetur, quod jure  
 communi competit. Certum est, si hic terminus  
 tantum a legistis statutus esset, vel a Jure Justinia-  
 neo, non vero ab Imperatore & statibus probatus,  
 nec opus esset privilegio, nec venia aetatis. Hactenus  
 vindex.

§. XXIV.

Verum enim vero esto, quod privilegia sibi aut  
 veniam aetatis nonnulli expetierint ab Imperatore:  
 potuit hoc vel ex erronea persuasione necessitatis, vel  
 libera voluntate fieri, quod consuetius illud visum  
 fuerit. Nihilominus quæ unus alterque facit, non sta-  
 tim obligare tertium, suoque jure defraudare pote-  
 runt. Integrum cuique est, terras suas per alios ad-  
 ministrare, quamdiu libuerit. Et si nonnulli ditio-  
 nes suas Vicariis vel Procuratoribus, vel Gubernatori-  
 bus generalibus administrandas committant, tamen  
 ceteri

ceteri non obstringuntur, ut eadem ratione suas quoque terras administrari jubcant. Neque adeo sequitur, hic vel ille Princeps veniam ætatis petiit, vel privilegium pro tota Familia sua impetravit: ergo & alii paria facere tenentur, vel ni faciant, ab administratione terrarum abstinere. Quin praxin ipsam non ita firmam & universalem esse, quin exempla contraria eidem opponi possint, haud difficile est ad probandum. Ipse LIMNÆUS de *J. P. l. c. n. 65. seq.* hoc agnoscit, quando de Sigismundi Bulla affirmat, *nec eo quoque sensu* (scil. ratione Principum & Statuum reliquorum) *eam stricte ubique observatam esse, sive contraria in familiis nonnullis respicias privilegia, sive ipsum, qui rerum moderator est, usum.* Uade exempla quam plurima ex diversis Familiis serenissimis atque illustribus, quæ dicta comprobant, in *Jure publ.* pariter l.c. ac ad A.B. in medium producit.

§. XXV.

Illustre est exemplum Joachimi I. Electoris Brandenburgici, cujus etiam supra jam mentio facta. Scilicet cum Johannes Elector Brandenburgensis e vivis excederet, erat filius Joachimus adolescens quasi sedecim annorum: Quia itaque ex aureæ Bullæ lege (cap. 8.) ad Electoratum minus habilis videretur, recessisset administratio Electoratus & provinciarum, ad cognatum Fridricum, Franconiam tum obtinentem: Is vero auctor fuit Joachimo, ut ab uno & altero ex Imperii Principibus, quid hac in parte agi debeat, cognosceret. Suasit autem Elector Moguntinus, ut ipse accepto homagio a subditis Joachimus dignita-

tem & titulum Electoralem adcat, & usurpet: mentem enim aureæ Bullæ eam esse, ut primogenitus Electoris secularis in Electoratu succedat, ætatem vero, quæ minor sit annis octodecim, ei successioni plane nihil derogare, nisi quod ab electione Regis Romani abesse juberet eum, qui decimum octavum ætatis annum nondum attigisset: ita refert CERNITIUS in *descriptione decem e familia Burggravorum Norimbergensium Electorum Brandenburgensium* p. 48. ubi de Joachimo I. quinto Electore Brandenburgenti agit. vid. LIMN. ad A. B. Cap. VII. §. 2. Obf. XXX. p. 391.

§. XXVI.

Præter hoc vero alia quam plurima reperiuntur exempla Principum, qui ante XVIII. & XXV. ætatis annum regimini admoti fuere. In Comitatu Palatinatus Rheni Johannes I. mortuo patre Friderico Simmerio, Anno 1459 natus annos 21. cum gubernatione pleno jure successit. Johannes II. Richardi patris, Anno Chr. 1492. mortuo patre An. 1509. juvenis 17. annorum, absque curatore Palatinatu præfuit. Ludovicus natus Anno Chr. 1502. anno ætatis 20. in gubernatione successit. Wolfgangus natus An. h. r. 1526. An. 1545. Comitatum gubernavit, videlicet An. 18. &c. Idem in Familia Misnica & Saxonica observare licet. Landgravius Thuringiæ Fridericus A. C. 1385. ex Margarita filia Johannis Burgraviæ Norimbergensis natus, post mortem patris Balchazaris An. Chr. 1406. ad Landgraviatus gubernationem admissus est, annos nimirum cum implevisset 21. Sic Fridericus II. Saxonix Elector, mortuo patre Friderico I.

(hic

(hic est qui Lipsiensem Academiam, An. 1407. condidit) annum attingens 17. absque administratore successit. v. MULLER. *Annal. Sax. A. 1428 p. 14* De Ernesto Electore observatur, quod Anno XXIII. regimen suscepit. v. MULLER. *l. c. A. 1464. p. 36.* idem in historiarum monumentis observatur. In Marggraviatu Brandenburgico habes Johannem Prudentem, qui aetate 22. annorum ad regimen feliciter evedus est. Habes Georgium Fridericum, qui aetatis 21. anno Remp. administrare coepit. Ex Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus non praeferendus est Wilhelmus Junior, Ernesti filius, qui A. 1535. natus post 1559. mortuo fratre Francisco Othone annum nondum 24. agens gubernandum Ducatum suscepit; Dux Otho Harburgi nascebatur A. C. 1528. anno vero 1549. post 22. aetatis annum Ducatum administrabat. Praeterea de Wilhelmo Seniore Bavaro teste HORTLEDERO, de causis belli Germanici *lib. 4. c. 31. p. 730.* ita legitur in propositione ipsius nomine facta Monachii, in provincialibus comitiis, die circumcissionis, a. 1514. Wann aber in solcher gemeiner Landes-Freyheit, auch in der Vermuns der Erklärung, und der Landschafft Erbhuldigung gesetzt ist, daß D. G. Herr Herzog Wilhelms S. der XVIII. Jahr seines Alters erreicht, und das Fürstl. Regiment annimmt, alsdann gemeiner Landschafft ihre Freyheit, sammt der Erklärung bestättigen soll, und so das geschicht, so sollen alsdann gemeine Landschafft aller Ständ S. F. Gu. mit Erbhuldigung, alsdann wieiez, auch verpflichtet seyn. Demnach hat H. G. D. Herzog Wilhelm, als S. G. zu S. Martins-

E 3

Tag

Tag des 15. Jahres das 18. Jahr seines Alters erreicht, und das Regiment getreten ist, im Eingang seines Regiments derselben Landschaft in gemein und insonderheit ihre Freyheit bestätiget. In Pomerania anno ætatis suæ 17. Philippus, patrè Georgio matre Emilia Palatina An. 1515. natus a. 1532. Ducatui præfuit. v. LIMN. J. P. l. 3. C. VII. n. 41. 42. it. 66. seqq. Archi Ducem Philippum anno XVI. ætatis fidelitatis sacramento a Belgii populis accepto, ad imperium provinciarum inauguratum fuisse, refert Cæsius in descriptione Leonis Belgici Sect. 2. n. 31. p. 56. ap. LIMN. ad A. B. C. VII. §. 2. Obs. 27. p. 389. Notum quoque est plurimis in Familiis pactis gentilitiis legitimæ ætatis terminum XVIII. annorum constitutum reperiri. Exempla in Familiis Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, Pomeraniæ & Principum Anhaltinorum, in quibus eundem ætatis annum consveto more receptum docet SPRENGER, in *Jurisprud. Publ.* p. 427. Et prostant pacta gentilitia illustr. Comitum Mansfeldensium, in quibus statuitur, daß keiner unter 16. Jahren soll zum Regiment kommen. vid. LIMN. l. c. n. 42. Denique in Episcopatu Naumburgensi XVIII. annus eidem receptus est: Ut docet capitulatio perpetua de A. 1678. So bald aber der Postularus das XVIII. Jahr seines Alters erfüllet, soll bey Kayserl. Majestät er selbst um die Belehnung auf Art und Weise, wie der vorhergehende dritte §. erfordert, inständig anzuhalten schuldig seyn, auch nach Erfüllung solcher XVIII. Jahres, wo es je vorzeiten anders nicht gehalten worden, die Suffis-Regierung selbst antreten, v. LUNZOS Reichs-

Reichs-Archiv. Parr. Spec. Contin. II. T. 1. p. 505. Hæc & complura alia hujus generis exempla satis evincunt, nunquam tantam vim atque auctoritatem obtinuisse supra dictam Sigismundi Bullam vel Jus Justinianicum, quominus per contrarias conventiones aut consuetudines eidem derogari potuerit.

§. XXVII.

Sed illud adhuc quaeritur, an etiam Imperator & Constatum eum, qui in territorio majorensem se declarat, etiam extra territorium talem agnoscere teneantur, nisi veniam atatis petierit? Nobis quidem ita videtur: Cum hæctenus demonstratum sit, Principem juvenem nullis legibus Imperii prohiberi in territorio se pro majorensem gerere, quando libuerit; neque ulla idonea causa afferri poterit, cur non & extra territorium idem fieri possit. Et quod ad Imperatorem attinet, is vi Capitulationis obligatus est, Status in juribus suis & immunitatibus tueri, inter quas utique & hanc majorensem atatem atque regiminis suscipiendi libertatem certa ratione referri par est. Constatibus vero jus contradicendi vel de atate Statuum cognoscendi neutiquam competit, quippe quod ex nulla Imperii lege unquam demonstrabitur. Quod si tamen, quid expediat in hujusmodi casibus, quaeratur: consultius utique erit, veniam potius ab Imperatore petere, quam citra necessitatem rem periculosi eventus suscipere, præsertim cum non facile veniam desideratam denegare soleat.

§. XXVIII.

QXTH 4894

X 237 4699

§. XXVIII.

Unica superest quaestio : in casu nempe condomini-  
 nii, vel accuratius loquendo, Imperii communis, quod  
 Principi forte simul cum alio quodam in territorio com-  
 petit, an condomini vel coimperantis consensus requi-  
 ratur, si alter pro maioreni sese gerere velit. Sed  
 neque hic consensus coimperantis necessarius esse vide-  
 tur, cum eousque effectus condominiumi vel Imperii  
 communis se neutiquam extendat, ut alter de alterius  
 legitima aetate cognoscat, quippe quae species jurisdi-  
 ctionis est, quae in coimperantem non competit, quip-  
 pe qui alteri aequalis est: adeoque pro libertate & hic  
 sententia ferenda, nisi territorii qualitas aut fun-  
 damentum ex pactorum aut specialium  
 rationum virtute desumpta aliud  
 postulet.

T A N T U M.



III V X X





II k  
4894

Inches  
Centimetres  
Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black  
B.I.G.

Farbkarte #13

B C D.  
X JURE PUBLICO  
DE  
ORI PRINCIPUM  
ÆTATE  
SEU  
TUTELA PRINCIPUM  
FINIATUR,  
CONSENTIENTE  
JURISCONSULTORUM ORDINE,  
ACADEMIA LIPSIENSI  
XVII. APRIL. M DCC XIV.  
PRÆSIDE  
BILISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO  
TERICO HERMANNO  
EMMERICHIO,  
PHIL. ET J. U. D.  
DISPUTABIT  
UTOR RESPONDENS  
GOTTLIEB DORNBLÜTH,  
DRESD.  
L I P S I Æ.  
CUSA M DCC XXXVI.

39

